



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

52. Notabilia quædam circa materiam Duelli. Et in textu huius Resolutionis
14. diversi casus adducuntur, & explanantur pro praxi ad incurrendam,
vel non incurrendam excommunicationem propter ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Tertio probatur ex Constitutione Clementis VIII. §. Nos nefaria, &c. in fin. & §. ac insuper & §. non solum, in qua approbat, & innovat dictum Decretum, & Constitutionem Gregorij XIII. & declarat locum habere, ubicumque gentium & terrarum, & excommunicat non solum locorum Dominos, sed etiam Magistratus duella permitcentes, & quantum in ipsis est, non prohibentes.

3. Nec obstat responsio data à Sanchez dicente dicta jura intelligi debere de illicita permissione, non autem de licita: nam respondet: primò, quòd dicta jura generaliter & simpliciter loquuntur, & idè generaliter, & simpliciter, & absque distinctione debent intelligi, itaut comprehendant omnes casus, & ita fuerunt usu recepta. Secundo, Pius secundus per Constitutionem suam, quæ incipit *Regis pacifici*, §. nos igitur, in fine, prohibet omnino duella committi ex quacumque causa (nota) etiam à legibus fieri permilla. Quæ Constitutio per Clementem VIII. fuit confirmata & innovata, ut patet ex §. nos nefaria, &c. Ergo comprehendit casum à Sanchez exceptum. Tertio, si Duellum in aliquo casu esset permittendum, utique esset permittendum, quando pactiones fuerint de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit; sed etiam in hoc casu est prohibitum per Clementem VIII. ut patet in sua Constitutione §. necnon, &c. Et Domini & Magistratus permittores, & quantum in ipsis est non prohibentes puniuntur, ut patet ex §. & non solum, &c. Ergo multò magis est prohibitum verum Duellum, ubi non interveniunt dictæ pactiones. Quarto, experientia docuit, quòd non solum non evitantur majora mala ex permissione Duellorum: sed ex uno inconvenienti (nempe ex permissione duellorum) plura acciderent mala & scandala, ut testatur Julius II. in sua *Bulla Regis Pacifici*, &c. in fine *provenim*. Ergo illud Axioma, Licetum esse Principibus minora mala permittere ad evitanda majora; limitandum est non habere locum in Duello ex superius dictis.

4. His tamen non obstantibus non desinam adnotare sententiam Sanchez affirmativam docere novissimè Fragozo in *Regimine Christiana Republica*, par. 1. lib. 1. disputat. 2. num. 23. Hurtadum de Mendosa in *secunda secunda de fide, spe, & Charitate volum. 1. disput. 170. sect. 2. §. 173.* ubi sic asserit. Princeps non est obnoxius his pœnis, quando permisso duello vitat graviora damna, quæ alia ratione vitari non possent, nisi cum graviore incommodo. Probatur, tum quia minora mala non solum permittuntur, sed etiam consulantur, quando aliter vitari non possunt: tum etiam quia jus naturale & Ecclesiasticum vetant eas permissiones ad vitanda damna inde sequenda; ergo si non ex permissione sequantur damna graviora, non intelligitur permissio interdicta. Vnde in tali casu licebit designare certamini locum, sicut licet designare locum lupanari, quando sine lupanari vitari non possunt incommoda graviora: & designatio loci non est cooperatio ad certamen, sicut neque designatio lupanaris est cooperatio ad impudicitiam meretricum: sed est designatio conditionata, ut ibi concertent, si liqui concertare voluerint; sicut in lupanari, ut ibi meretrix exerceat, si quæ voluerit esse meretrix. Possuntque in designando locum multæ suppetere rationes, quibus vitentur graviora damna; quod est multò melius: estque multò melius ut locus eligatur à Principe, quàm à Monomachis, ut contingit in lupanari eligendo, quæ electio, si ipsis meretricibus permitteretur, ipsæ se prostituerent in Vir-

bis Meditullio. Hæ occasiones sunt, quando inter duos Principes ferverent odia mainitancia bellum exitiale: quod quidem averteretur & restingeretur odia, si Monomachiam permittat Princeps tertius, qui non solum posset eam permittere, sed consulere: si omnibus prudenter expensis judicaret nullam esse aquam illi incendio, consulere inquam non absolutè, sed ut potest consuli minus malum. Item si Vassalli Principis ita tumultuentur civilibus odiis, ut prudenter timeatur illos catervatim, & ex insidiis congressuros; neque ipse Princeps posset eos legibus coercere, nec compescere, imminetque, seditio & rebellio: tunc si possent ea damna vitari permilla, aut consula Monomachia, esset permittenda, aut consulenda; minus enim malum est, ut pauci congregiantur, quam ut multi. Item si duo Principes peterent à Principe tertio campum, ut ex ipsorum Vassallis pauci in eo duellarent, si Princeps tertius illum negare non posset sine periculo, ut illi in eum arma verterent, illique immineret, aut amissio Regni, aut periculosum bellum. Hac utque Hartadus, cui etiam adde Cœlestinum in *compend. Theol. mor. tr. 3. cap. 10. n. 10.* & alios, quos ego remissivè citavi & sequutus sum in 3. parte, tr. 6. ref. 1.

Quæ nunc hanc sequetur in ejus §. penult.

RESOL. LII.

Notabilia quedam circa materiam duelli.

Et in textu hujus Resolutionis 14. diversi casus adducuntur, & explanantur pro praxi ad incurrendam, vel non incurrendam excommunicationem propter duellum. Ex part. 3. tract. 6. & Misc. 2. Ref. 1.

§. 1. **M**ateria duellorum frequenter in praxi solet accidere, ideo ponam hic breviter aliqua magis practicabilia. Dico igitur primò, quòd diffidens alterum non animo pugnandi, sed causa honoris proprii defendendi, non incurrit in excommunicationem. Ita contra Peregrinum de duello quest. 24. docet Flaronus de duello cap. 6. §. 2. & Naldus in summa, verb. duellum, num. 2. imò cum Filiiucio tomo 2. tract. 15. capit. 5. quest. 5. numero 113. alibi probabiliter docui hoc esse verum, etiam si ad locum conventum accedant absque animo verè pugnandi, sed tantummodo aliquos ictus inferendi, cum morali securitate; quòd nullum dampnum futurum sit, sed pax potius inde concilianda, & ita etiam hanc sententiam tenet novissimè Vvolfgangus à Vvorburg in rudimentis juris canonici de excom. art. 5. fol. 196.

Sup. hoc in Ref. 1. not. seq. post medium, vers. Quidam, &c.

Alibi in Ref. seq. in fine, & infra in Ref. 64. §. ult. paulo post initium

2. Dico secundò non incurrit in excommunicationem, si quis ad inimicum accedat arguendo illum mendacij, si sustinere voluerit, quod sibi relatum fuit, etiam si hoc dicendo manum ensi apponatur. Ita contra Peregrinum question. 26. numero 2. tenet Bonacina tom. 3. disput. 2. question. 3. punct. 48. num. 14. hoc enim non est provocatio ad duellum facta ex conditio, statuto loco, & tempore, sed potius est injusta aggressio.

Sup. hoc infra in Ref. 64 §. ult. cursum ad medium, vers. nec quì

3. Dico tertio, non affici excommunicatione, qui alium provocat ad pugnam nullo statuto loco, & tempore, & hoc etiam procedit in terminis Bullæ Clementis VIII. quidquid sentiat Peregrinus quest. 15. num. 3. & quest. 20. num. 3. contra quem insurgit Bonacina ubi supra num. 15. & alij, ex ratione superius adducta; quia videlicet hæc actio non habet requisita constitutiva duellum.

Sup. hoc infra lege doctrinam Ref. 60.

4. Dico quartò, cum quis ad locum duelli causa inspicendi accessit, non incurrit in excommunicationem,

Sup. contentum in hoc §. infra.

in ref. 62.
per totam,
in ref. 64.
ule. cursum
ad medium.

cationem, dummodo duellum, vel actus ad pugnam proximus secutus non sit. Ita ego olim consului contra Peregrinum *quest. 37.* Imò puto cum Lessio *lib. 10. cap. 4. dub. 11. num. 83.* & Sfortia in *Bull. Pont. epitome 153. theorem. 392.* spectantem ex occulto duellum non incidere in excommunicationem, quod etiam Riccius in *praxi tom. 3. ref. 42. num. 20.* Scortia cum Reginaldo, & Sanchez tenent de transeunte obiter, & aspiciente duellum, cum non sit spectator, ex industria, & ex proposito.

Sup. hoc in
Ref. not. seq.
& in eodem
§. post me-
dium.

5. Dico quintò, quòd qui narrat aliquod factum ex qua narratione prævitet aliquos, qui rem illam intellexerunt, arrepturos occasionem provocandi se ad duellum, non incurrere in excommunicationem, quiddam asserat Peregrinus *quest. 27.* & ita docet Bonacina *num. 32.* & ita ego olim in casu contingenti determinavi cum consensu Doctorum virorum; nisi hoc faciat, ut eos ad duellum incitet. Et ratio nostra sententiæ contra Peregrinum est, quia ista actio in Bulla Clem. VIII. non exprimitur, & penæ non sunt extendendæ ultra verborum significationem. Ergo, &c.

Sup. hoc in
fra in Ref.
64. §. ult. ad
medium.

6. Dico sextò, audientes, vel legentes scripta, in quibus aliqui se provocant ad duellum, minime nexu excommunicationis vinciri. Et ita ego olim consului contra Peregrinum *quest. 28.* & adducebam Comitolum *lib. 6. cap. 14. num. 7.* & rationes *suprà* adductas, quia hoc in Bulla non exprimitur, & quia odia non sunt amplianda.

Sup. hoc ibi-
dem paulo
post medium
dicti §.

7. Dico septimò, quòd qui ratam habet provocacionem, vel pugnam, vel aliam actionem in Bullis Pontificiis expressam, suo nomine factam; non incidit in excommunicationem; ita Floronus *cap. 14. §. 3. num. 1.* quiddam asserat Peregrinus *q. 31. num. 3.* quia Pontifices dum volunt penam ad ratihabitionem extendere, hoc solent exprimere; adde quòd ratihabito non comparatur mandato in penis, nisi exprimitur. Ergo, &c.

Sup. hoc in
Ref. seq. in
principio.

8. Dico octavò, cum qui præmissa ob duellum provocacione contulit se ad locum constitutum, & alio non comparente discessit, minime in excommunicationem Gregorij XIII. incidisse puto, & ita contra Peregrinum *quest. 45.* tenet Scortia in *Bulla Pontif. epitome 155. theorem. 392.* & alij penes ipsum, quibus ego addo Megalam in *tertia part. lib. 4. cap. 4. quest. 2. num. 11.* Ioan. Franciscum Suarez in *enchiridio casuum conscientia lib. 7. verb. duellum.* Naldum in *summa verb. duellum, n. 6.* & Riccius in *praxi tom. 3. resol. 52.*

Sup. hoc in
fra in Ref.
58. §. ult. &
in alio ejus
not.

9. Dico nonò, quòd Peregrinus *quest. 33.* docet duellum consulentem incurrere in excommunicationem, etiamsi consilium non sit efficax, vel influat in effectum; sed contraria sententia probabiliter sustineri potest, ut notat Bonac. *n. 28.*

10. Dico decimò, consulentem duellum non incidere in excommunicationem, etiamsi conatus fuerit influxum consilij revocare, sed reipsa non revocaverit; scio Bonaciam *n. 36.* contrarium docere, sed tu probabiliter nostram sententiam sequi potes.

11. Dico undecimò, quòd si incontinenti orta inter aliquos sit rixa, unusque alterum iracundia motus ad dimicandum in certo loco invitet, & incontinenti ibi dimicent, non incurrunt in excommunicationem. Ita Flavius Cherubinus in *Bulla Pontif. tom. 3. constit. 11. Clement. VIII. schol. 1.* qui citat Ludovicum Lucensem, Farinacium, & Tuschum, quibus ego addo Ioannem Franciscum Suarez in *enchiridio casuum conscientia lib. 7. verb. duellum,* & Riccius in *praxi tom. 3. resol. 51.* Item ait Graffius, diffidentes se ad pugnam in aliquo loco, quò statim tendunt, & pugnant ibi, non incidere in excommunicationem,

quia non adest assignatio temporis. Ita ille in *praxi lib. 1. cap. 7. n. 22.* & Ioan. Franciscus Suarez *ubi supra,* sed probabilior est contrariarum sententiam allicere Bonacina loco citat. *num. 7.*

12. Non reticeam hic adnotare, quòd secundum Layman in *Theologia moralis lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 3. num. 3.* in duobus casibus duellum damnari non potest, videlicet, si miles in exercitu, vir equestris in aula Regia officio, & dignitate exidere debeat ob ignavia, ac timiditatis notam, nisi identidem provocanti se sistat; vel si quis ab iniustus convitatus, nisi cum provocante congrediatur. Hæc Layman; an verò probabiliter, alijs iudicandum relinquo, militum enim non placent, ex his quæ adducit Reginaldus *tom. 2. lib. 21. cap. 7. num. 80.*

13. Nota secundò, contra Megalam in *3. part. lib. 4. cap. 4. quest. 2. num. 13.* & Salonium in *2. 2. 9. 64. art. 3. contr. 3. concl. ult.* posse Principem in casu extraordinario ad majora vitanda mala duellum permittere; & ita docet Scortia in *Bulla Pontif. epitome 153. theorem. 392.* qui citat Sanchez, Valentiam, Cajetanum, Sà, & Navarum, quibus ego addo Reginaldum *tom. 2. lib. 21. cap. 7. num. 73.*

14. Et tandem nota tertio pro coronide huius resolutionis, quòd novissimè Franciscus Metrola in *de in fine sunt. Theol. tom. 1. disp. 2. cap. 4. dub. 10. concl. 3. n. 30.* asserit. Quantum ad scripta provocantia ad duellum, si loquamur de famulis scribentibus tantum, & erga non deferentibus: existimo posse dari casum, in quo licitum sit famulis ea scribere, ut si alius eis immineret periculum mortis, vel alterius gravis nocuenti. Si verò de famulis ea scripta scienter deferentibus sermo sit, est valde probabile, id ita esse inordinatè malum, ut in nullo casu liceat, quavis oppositum non sit improbabile. Ita ille. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem materiam duelli, alias quæstiones ex industria relinquimus, quia non ita in praxi facillè occurrere solent.

RESOL. LIII.

An si quis provocaret aliquem ad duellum, se se confiterens posita ad præfixum locum, & præfixo tempore, ibique frustra expectato inimico discedens, incidat in censuram Bullæ Greg. XIII.

Et quid est dicendum, si aliquis offensum à N. illum provocavit ad duellum, certo in loco, &c. non tamen debebat animum pugnandi, & certo sciebat pugnam non sequituram, quòd amici utriusque hoc impedissent, an in tali casu incidat in excommunicationem prædictæ Bullæ?

Et alij tres casus cursim attinguntur pro materia duelli. Ex part. 2. tractat. 16. & Miscell. 2. Resolut. 55. alias 55.

§. 1. **H**ic casus frequenter solet accidere: & affir. Sed motivam sententiam docet Peregrinus *tra. 1. de duello q. 41. per tot.* sed mihi contraria opinio placet, & ita tenet Comitolum, Delrius, & Sanchez, quos citat, & sequitur Scortia in *Bulla Pont. epitome 155. theorem. 392.* quibus ego addo Megalam in *3. part. lib. 4. cap. 3. n. 11.* Notandum est obiter pro hac materia de duello, excommunicationem incurrere, si quis diceret: Vade quæsitum gladium, hic te expecto, vel, Veni ad talem locum, te ibi expecto; vel si existens in navi, vel alibi dicas, Egrediamur in terram, vel foras, te expecto in tali loco; vel quique nostrum abeat quæsitum enssem, in tali loco mori pugnaturi; secus si quis offensus dicat offendenti. Distin.